

»pore, copioso per hujus Ordinis fratres profuso san-  
 »guine, optimo experimento didicimus, dolentesque ni-  
 »mum, quod ingens adeo Indorum multitudo, etsi pre-  
 »tioso Christi Sanguini Redempta, ex penuria tamen Mi-  
 »nistrorum Evangelica luce orbata, ac infidelitatis te-  
 »nebris obruta, beneficio tanto incassum accepto, per  
 »momenta singula miserabiliter pereat. Facultatem tibi  
 »concessimus, quatenus ex nostris Hispaniæ Provin-  
 »cijs vigintiquatuor Religiosos seligeres morum inte-  
 »gritate, litterarum scientia, & salutis animarum zelo  
 »pollentes, qui hujusmodi iter tecum aggredi, & im-  
 »pio adeò, atque proficuo Ministerio exerceri optarent.  
 »Legatum te eorundem Prælaturum, & Commissarium  
 »nostrum delegatum, cum opportuna, & necessaria  
 »facultate constituentes, sicut in litteris per Nos su-  
 »per hac re expeditis latius continetur.

431 »Idcirco, ut exercitium hoc animarum saluti sum-  
 »mè necessarium, Christianæ charitati, & institutioni  
 »conforme, in partibus Indiarum non solum inducatur,  
 »sed etiam radicetur, & promoveatur; Nobis, de ali-  
 »quorum Patrum doctrina, & virtute prædicatorum con-  
 »silio, opportunum, & congruentissimum medium vi-  
 »sum est, vobis concedere aliquem operi ipsi commo-  
 »dum Conventum, qui sit hujus sancti exercitij Scho-  
 »la, & Prædicatorum Missionariorum Seminarium, in  
 »quo spiritu, & doctrina Tyrones informentur, robo-  
 »rentur Veterani. Ad quem post Missionum labores,  
 »temporibus ad ipsas non opportunis, pro viribus cor-  
 »poris, & spiritus reficiendis revertantur, & ex quo,  
 »obedientiæ merito, viribus corporis utcumque reasump-  
 »tis, & novo spiritus fervore accepto, armati iterum  
 »in diversas plagas ad verbum Dei disseminandum,  
 »prodeant.

432 »Et quia ad hæc præstanda Conventus noster  
 »Sanctæ Crucis de Queretaro, Provinciæ de Mechoa-  
 »cam Regularis Observantiæ in nova Hispania, valde  
 »commodus visus est, tum ob situs solitudinem, & à  
 »ne-

»negotijs sæcularibus abstractionem, tum ob ipsius cum  
 »infidelibus, quorum intuitu præcipuè erigitur, propin-  
 »quitate ipsum prædicto effectui duximus consignan-  
 »dum; quod, ut indubitata autoritate, perpetua firmi-  
 »tate fiat, præsentium tenore tibi nostram paternam  
 »benedictionem, & facultatem concedimus, ut tam-  
 »quam Ordinis nostri honorabile negotium, prædictum  
 »Conventum Sanctæ Crucis de Queretaro à Sancta Sede  
 »Apostolica tibi, & fratribus socijs, pro prædicto effec-  
 »tu, petere valeas, ad quod nostrum tibi consensum tri-  
 »buimus; & autoritate Ministri Generalis qua fungi-  
 »mur, bono communi Ordinis consulentes, prædictæ  
 »Provinciæ de Mechoacam consensum (in quantum pos-  
 »sumus) supplementum. Hæc autem concedimus sub con-  
 »ditionibus, & ordinationibus sequentibus in prædicto  
 »Seminario omnino observandis, nisi aliter à prædicta  
 »Sancta Sede fuerit ordinatum.

## CONDITIO PRIMA.

433 Quod prædictus Conventus in Seminarium erec-  
 »tus nullius Provinciæ sit, quantum ad regimen, & im-  
 »mediatè subsit Commissario Generali novæ Hispaniæ  
 »pro tempore existenti, habeatque commercium frater-  
 »nitatis cum eadem nostra Provincia de Mechoacam,  
 »quantum ad suffragia pro defunctis fratribus; ita ut  
 »Conventus ipse, & fratres in eo commorantes, cele-  
 »brent officia, & Missas, juxta Statuta Generalia, pro  
 »quolibet fratre ejusdem Provinciæ filio decedente, &  
 »vicissim à singulis Conventibus, & fratribus Provinciæ  
 »eadem celebrentur pro quolibet fratre prædicti Semi-  
 »narij ubilibet moriente.

## II.

434 »Ut in prædicto Seminario triginta tantum fra-  
 »tres de familia admitti possint, quin hic numerus va-  
 »leat unquam augeri, ex quibus viginti sex sint Sacer-  
 »dotes Missionarij, quatuor Religiosi sint Laici, pro  
 »Conventus servitio, & eleemosynarum collectione.

## III.

435 »Quod electio Guardiani fiat à Commissario  
»novæ Hispaniæ, ex tribus ejusdem Seminarij Patribus,  
»per secreta suffragia omnium Sacerdotum Professorum  
»Communitatis canonice eligendis, & prædicto Commis-  
»sario præsentandis. Guardianus tantum per triennium  
»in officio durare poterit, & liberum erit Commissario  
»præfato in dimidio triennij ipsum ab officio absolvere,  
»si ipsi constiterit officio non satisfacere, habita in-  
»formatione pro conscientia, sine strepitu judiciali, si-  
»cut fit in toto Ordine in Congregationibus intermedijs.

## IV.

436 »Quod in Seminario sint quatuor Discreti pro  
»gravioribus ejus negotijs tractandis, qui semper erunt  
»quatuor Missionarij in officio Missionis antiquiores, &  
»in absentia cujuslibet, pro tempore absentia, alius prio-  
»ribus, in antiquitate Missionarij immediatus substituatur.

## V.

437 »Quod ex Guardiano, & Discretis unus ex  
»Patribus Missionarijs eligatur in Vicarium Seminarij,  
»seu Præsidem in communitatibus, & gubernio in ab-  
»sentia Guardiani, qui etiam, in casu mortis Guar-  
»diani, Conventum gubernabit usque ad novi Guar-  
»diani electionem: tenebitur tamen, sub pœna priva-  
»tionis ipso facto sui officij, die octava à morte Guar-  
»diani, convocatis Patribus absentibus, qui intra illud  
»tempus haberi poterunt, Communitatem pro præsen-  
»tatione, ut supra Commissario Generali novæ Hispa-  
»niæ faciendâ, congregare. In absentia Guardiani, & Vi-  
»carij antiquior Discretus in Communitate, & Semina-  
»rio præsideat.

## VI.

438 »Quod Guardianus cum consilio, assensu, &  
»approbatione Discretorum possit recipere de familia in  
»præ-

»prædictum Seminarium, juxta numerum præscriptum,  
»Religiosos ex quacumque Indiarum Occidentalium Pro-  
»vincia, qui se Sancto Missionum exercitio tradere cu-  
»pant, dum tamen sint bonæ famæ, & integræ vitæ,  
»sanæ, sufficientisque doctrinæ, & talis corporis vale-  
»tudinis, ut peregrinationes, & labores Missionum va-  
»leant sustinere, cujus receptionem nullus inferior præ-  
»fato Commissario Generali valeat impedire. Ipsi autem  
»sic recepti non poterunt, nisi post expletum in Semina-  
»rio annum, ad Missiones admitti, nec suffragium in  
»Communitatibus habere. Possit etiam Guardianus de con-  
»silio Discretorum recipere fratres Laicos ex quacum-  
»que Provincia, qui sint devoti, probatæ vitæ, & om-  
»nino apti pro officijs in Seminario exercendis à Lai-  
»cis, quorum pariter receptio à nullo alio inferiore præ-  
»fato Commissario valeat impediri, sicut nec quòd in  
»Hispaniam mittat pro fratribus de novo aggregandis.

## VII.

439 Quod Guardianus habeat facultatem recipien-  
»di Novitios, dum tamen recipiendus, præter qualita-  
»tes in Constitutionibus Apostolicis, & Ordinis requi-  
»sitas, dederit probata signa specialis vocationis, ha-  
»beatque supra vigesimumquartum ætatis annum, &  
»talem litteraturam, ut accedentibus exercitijs Semina-  
»rij, in Missionum ministerio proficere possit, & va-  
»leat; quod constare debet per rigidum Discretorum  
»examen, & eorum approbatione per suffragia secreta,  
»sine qua Guardianus nullum possit ad habitum recipe-  
»re. Novitij autem, intra numerum supra præfixum fra-  
»trum Missionariorum debent contineri; ita ut, eo com-  
»pleto, Guardianus nullum, nec professum, nec No-  
»vitium possit in Seminariomittere, quousque, alio  
»deficiente, locus intra numerum vacet.

## VIII.

440 Quod in dicto Seminario observetur purissimè

»Regula fratrum Minorum, tum quantum ad pauper-  
 »tatem in communi, tum quantum ad præcepta par-  
 »ticularia de qualitate, & de numero vestium, excal-  
 »ceatione, & jejunio, &c. & præcipuè de providendo  
 »necessitatibus fratrum, tam in ægra, quam in sana va-  
 »letudine juxta nostrum statum; ita ut, omnes in com-  
 »muni vivant, & nullo casu alicui fratri permittatur  
 »habere, nec apud Syndicum Apostolicum, nec apud  
 »amicum spiritualem, cujuscumque sit Dominij, elee-  
 »mosynam pecuniariam pro suis particularibus neces-  
 »sitatibus.

## IX.

441 »Quod indispensabiliter singulis diebus per duas  
 »integras horas vacent orationi mentali, alteram post  
 »primam, alteram post Completorium. Officium autem  
 »Divinum dicant statutis horis in Choro, sine cantu  
 »tamen, propter studium ordinarium, cum pausa con-  
 »ducente ad devotionem, sin affectatione divertente, cui,  
 »& Conventuali Missæ, cæterisque Communitatibus om-  
 »nes, nullo excepto, assistere, & interesse teneantur,  
 »& omnes à Guardiano inclusivè sint successive Hebdo-  
 »madarij.

## X.

»Quod singulis diebus habeant per duas horas lec-  
 »tiones, & conferentias: per unam post Conventua-  
 »lem Missam de Idiomate Indorum, ad quos debent  
 »fieri Missiones; per alteram post vespervas de modo  
 »convertendi, catechizandi, & instruendi conversos.  
 »A lectionibus autem ipsis nullus possit excusari, nec  
 »à reddenda ratione de materia lectionis, si interrogetur.

## XI.

442 »Quod Missionarij, tempore, quo in Semina-  
 »rio commorantur, pœnitentiam publicam in Refecto-  
 »rio faciant, si inventi fuerint per Conventum vagan-  
 »tes, aut otiosè colloquentes, cum debeat hoc recessus  
 »tempore, unusquisque in cella sua, studijs suo exer-  
 »ci-

»citio convenientibus, vacare, dum communitatibus non  
 »astiterint, proptereaque nulli egrediendi è Conventu  
 »licentia concedatur, nisi ad aliquod urgens pietatis  
 »opus superiori notum, quousque ad Missiones iterum  
 »emandetur.

## XII.

443 »Quod nulli Sæculari permittatur ingressus ad  
 »interiora Conventus, sed in claustro inferiori dispo-  
 »natur aliqua Camera honesta, & devota, cum humi-  
 »libus sedibus, ubi viri Sæculares quærentes aliquem ex  
 »Patribus pro sua spirituali consolatione excipiantur, &  
 »consolentur.

## XIII.

444 »Quod omnes prædicti Seminarij Patres, sine  
 »aliqua inter ipsos notabili differentia, induant habitum  
 »exteriolem Observantium, juxta ejus reformationem  
 »in ultima Congregatione Toletana factam ad litteram  
 »observandam, & in disciplinis, jejuniis extra Regu-  
 »lam, capitulis culparum, & alijs austeritatibus, cæte-  
 »risque ad Regulæ vitæ Monasticæ & regularis disci-  
 »plinæ observationem conducentibus, Constitutionibus  
 »Generalibus Ordinis se conforment.

## XIV.

445 »Quod Guardianus, vel in ejus absentia Præses,  
 »temporibus opportunis, aut quando necessarium judi-  
 »caverit, mittat Missionarios binos, & binos, aut in  
 »majori numero, prout conversionum necessitati vide-  
 »rit expedire, consignando eis oppida, tractus, & ter-  
 »ras in quibus singuli suas Missiones facere debent. Re-  
 »linquant tamen aliquos in Seminario, qui commu-  
 »nitatis exercitia expleant, & hi, alijs revertentibus,  
 »mittantur.

## XV.

446 »Quod si aliquis Missionariorum sine legitima  
 »causa à Discretis approbanda, se à Missionibus juxta  
 »præscriptum Guardiani faciendis, excusaverit, vel in  
 »eis

»eis aliquid ultra victum moderatum acceperit, vel ma-  
 »lum aliquod exemplum dederit, aut in Seminario pa-  
 »cem Communitatis turbaverit, aut in assistendo Com-  
 »munitatibus, & alijs exercitijs supra positjs explendis,  
 »notabiliter defectuosus fuerit, & semel, ac iterum à  
 »Guardiano reprehensus non se emendaverit, Guardia-  
 »nus ipse, cum consilio, & consensu Discretorum, possit,  
 »si alicujus Provinciæ filius fuerit, eum de Seminario  
 »expellere, & ad suam Provinciam mittere, quæ ipsum  
 »recipere tenebitur, sub pœna privationis officij Pro-  
 »vinciali renuenti. Si vero in Seminario professus sit,  
 »teneatur monere Commissarium Generalem novæ His-  
 »paniæ, cum voto Discretorum in scriptis, ut illi de  
 »Provincia, in qua moretur, provideat.

## XVI.

447 »Quod prædictus Commissarius Generalis tenea-  
 »tur per se, vel per suum Commissarium ad hoc spe-  
 »cialiter institutum, visitare prædictum Seminarium in  
 »singulis triennis, & in singulis visitationibus inquirat  
 »tur sigillatim de Observantia præmissarum omnium  
 »conditionum, & defectus, si qui fuerint corrigantur,  
 »& juxta eorum qualitates, possit Commissarius Ge-  
 »neralis ipse procedere ad expulsionem Missionario-  
 »rum, & Guardiani privationem. Delegatus autem ip-  
 »sius possit tantum Guardianum suspendere & adhibitis  
 »necessarijs correctionibus, Commissarium Generalem  
 »de majori remedio apponendo admonere. Et quia  
 »speramus, quod Dei aspirante gratia, per hos sui  
 »verbi Ministros, plures Gentilium Populi ad fidem sint  
 »convertendi, quorum neophytos in accepta fide con-  
 »servare, eisque sacramenta ministrare necessarium est;  
 »ordinatur, ut in conversis populis aliqui ex præfatis  
 »Missionarijs ad prædicta obeunda necessarij rema-  
 »neant: Monito Guardiano Seminarj, & ab eo licentia  
 »obtentâ, qui semper ejusdem Guardiani subditi rema-  
 »nebunt, & ejus correctioni, ut supra, subjecti: manen-  
 »tes autem in oppidis conversis non computabuntur  
 »in

»in numero assignato Missionariorum Seminarj, sed  
 »eorum loco alij in Seminario possint recipi. In cura  
 »autem animarum sic conversarum ad fidem, tamdiu  
 »solummodo poterunt remanere, quoadusque Episcopo,  
 »ad quem terra pertinet, vel in posterum pertinebit,  
 »placuerit Presbyteros Sæculares, quibus animarum cu-  
 »ram committat, destinare. Quamdiu vero prædicti  
 »Missionarij in prædicta cura remanserint, nihil ex ti-  
 »tulo curatorum, vel doctrinarum possint accipere, sed  
 »præcise ex mendicatis eleemosynis, vel ultro oblatjs  
 »vivere debent. Poterunt tamen stabilita nostra fide,  
 »& Curatis sæcularibus inibi manentibus, in oppidis  
 »magnis, aut capacibus, de licentia Episcopi, & præ-  
 »fati Commissarij Generalis, Regio etiam consensu ac-  
 »cedente, Conventus nostri Ordinis fundare, in quibus  
 »juxta Regulam, & statuta, ex eleemosynis sub regu-  
 »lari disciplina fratres Conventus vivere possint, &  
 »Conventus illi Guardiano præfati Seminarj principalis  
 »erunt subjecti, quousque ex illis custodia possit for-  
 »mari, vel aliter in Capitulo generali de illis provideri.

## ULTIMA.

448 »Quod si aliquando Conventus relaxetur, & à  
 »perfectione ad quam instituitur, defecerit, aut non fue-  
 »rit cum effectu aut exercitio Missionum, Seminarium  
 »eidem Provinciæ de Mechoacam, à qua sumitur, ite-  
 »rum incorporetur, ejusdemque regimini, sicut cæteri  
 »ejusdem Conventus, subjiciatur. Sub his igitur con-  
 »ditionibus, & ordinationibus præmissas tibi facultates  
 »tribuimus, monemusque te in Domino, ut ad opus Deo  
 »adeò placitum, fidelibus proficuum, & nostro instituto  
 »conforme, te accingas, ad quod tibi, & socijs tuis Se-  
 »raphici P. N. S. Francisci benedictionem impartimur.  
 »Datum in Conventu nostro Sancti Francisci Matrj die  
 »12. Martij anno Dom. 1682. = Fr. Joseph Minister Ge-  
 »neralis. = Loco ✕ Sigilli. = De mandato Rmæ. Patern.  
 »suæ, Fr. Hieronymus de Sosa Secretarius Generalis Or-  
 »dinis.

»Cum

449 »Cum autem sicut eadem expositio subjunge-  
 »bat, præfatus Angelus Procurator Generalis litteras  
 »patentes hujusmodi, quo firmiter subsistant, & ser-  
 »ventur exactius, Apostolicæ confirmationis nostræ pa-  
 »trocinio communire plurimum desideret. Nobis prop-  
 »terea, etiam memoratorum Josephi Ministri Genera-  
 »lis, & Antonij Linaz, ejusque sociorum Missionario-  
 »rum nomine humiliter supplicari fecit, ut in præmis-  
 »sis opportune providere, & ut infra indulgere de be-  
 »nignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur illos spe-  
 »cialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, &  
 »eorum singulares personas à quibusvis excommunica-  
 »tionis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesias-  
 »ticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab ho-  
 »mine quavis occasione vel causa lati, si quibus quo-  
 »modolibet innodati existunt, ad effectum præsentium  
 »dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, &  
 »absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus  
 »inclinati, præinsertas præfati Josephi Ministri Gene-  
 »ralis patentes litteras, cum omnibus, & singulis in eis  
 »contentis, auctoritate Apostolica confirmamus tenore  
 »præsentium, & approbamus, illisque Apostolicæ in-  
 »violabilis firmitatis robur adjicimus: ac omnes, & sin-  
 »gulos juris, & facti defectus, si qui desuper quomo-  
 »dolibet intervenerint, supplemus.

450 »Præterea præfatis Antonio Linaz, ejusque  
 »Missionariis supradictum Conventum Sanctæ Crucis de  
 »Queretaro ad fines, & effectus in eisdem litteris pa-  
 »tentibus expressos, ac cum conditionibus, & ordina-  
 »tionibus in eis contentis, eadem auctoritate harum  
 »serie assignamus, decernentes, ipsas præsentis litte-  
 »ras efficaces existere, & fore, suosque plenarios, &  
 »integros effectus sortiri, & obtinere; ac illis ad quos  
 »spectat, & pro tempore spectabit, in omnibus, & per  
 »omnia plenissime suffragari, sicque in præmissis per  
 »quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam  
 »causarum Palatij Apostolici Auditores, judicari, & de-

»fi-

»finiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his  
 »à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter  
 »contigerit attentari. Non obstantibus, &c.... Datum  
 »Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die 8.  
 »Maij 1682. Pontificatus nostri anno sexto."

451 Expedida esta Bula de ereccion, se concedieron  
 á estos Misioneros todas las facultades, que solian con-  
 cederse á los Misioneros de Propaganda Fide, las qua-  
 les con esta misma Bula pueden verse entre las Actas  
 del Capítulo general setenta y cinco, celebrado en Roma  
 en 23 de Mayo de 1676, donde el P. Perusino juzgó de-  
 berlas colocar, para observar el orden que se habia pro-  
 puesto.

## CAPITULO XI.

*Concluyese lo respectivo á los Seminarios de la América.*

452 **A** La ereccion del Seminario de Queretaro si-  
 guió el fruto que del P. Linaz y todos sus  
 Compañeros se esperaba; mas pareciéndole á este Sier-  
 vo de Dios, que la obra no estaba completa, si los ope-  
 rarios que debian trabajar en esta viña no se ensaya-  
 ban primero en estas partes de Europa, para las fun-  
 ciones de este ministerio, atropellando con los emba-  
 razos de su cansada edad y falta de salud, y dexando  
 ya entablada la Apostólica vida de su primer Semina-  
 rio, volvió á España, y en el Rmo. Padre General Sor-  
 mano halló la misma proteccion, que habia experimen-  
 tado en su inmediato antecesor el P. Samaniego. La  
 idea de este varon Apostólico era la de fundar iguales  
 Seminarios en las Provincias de España, y en algunas  
 de ellas estaban ya erigidos; y para el efecto de com-  
 pletar esta obra expidió el General sus Letras Paten-  
 tes<sup>1</sup>, instituyéndolo Comisario de todas las Misiones  
 de

<sup>1</sup> Incipiunt: Inter cætera Divinæ Majestatis, sunt dat. Romæ  
 die 11. Maii ann. 1686.